

posthabitis regibus si soli essent: quod in summo honore haberentur. Hunc uero magistratum: qui apud Francos amplissimus habeatur: consequi non poterant nisi praecipua nobilitate uiri: & qui regibus essent necessitudine aut propinquitate coniuncti. Pipinus igitur hac dignitate: quam ueluti haereditariam a patribus suis acceperat: multis annis egregie functus maximam sibi apud omnis generis homines tum famam tum beniuolentiam comparauit. Quibus postea factum est: ut cum Franci ac Romanus pontifex Hildicum regem a dominatione ueluti inutilem semouissent: hunc potissimum deligendum putarent: cui communi sententia regnum decernerent. Sic igitur Pipinus auctoritate pontificis & Francorum decreto plena dominandi potestate suscepta reliqua deinde uitam publicis pariter ac priuatis rebus egregiam duxit. Regnauit annos quindecim cuiuslibet superiorum regum belli pacisque artibus & gloria par. Huic succedere superstites filii duo Carolus & Carolomanus aequae regno inter se partito. Sed non multo post defuncto Carolomano Frangi eam regni partem. Quam ille possederat: Carolo fratri detulerunt: cuius uitam & mores & res egregie gestas suis mandare constituit: ut memoriam tanti uiri tanque praecclare de nostra patria meriti quantum ego possem: ab obliuione hominum atque a silentio uedicarem. Primum igitur: ut a rebus gestis narratio nostra exordium sumat satis exploratum habemus carolum regem extemplo post Pipini obitum aduersus aqtanos bellum gessisse. Aquitania pars Galliae est quae antiquorum descriptione a Garunna flumine ad pyraeneos montes: & ad eam partem Oceani: quae ad Hispaniam pertinet: spectat inter occasum solis & septentrionem: Hanc puinciam Pipinus superato Waifario duce post longum bellum ditioni: suae pene subiecerat. Deinde Pupino Waifarioque sub unum prope tempus defunctis: Hunuldu uir potens ex eorum morte (ut plerumque fit) occasionem nactus bellum: quod antea pene confectum uidebatur: renouauerat iamque fere Aquitaniam totam ad defectionem compulerat: Carolus uero ubi haec quae in aquitania gerebantur: cognouit: nullam moram interponendam ratus ingenti celeritate exercitu comparato obuia Hunuldo progreditur. Primo aduentu conatus illius facile reprimuntur: nec multo postea commisso praelio Carolus hostem superat: exercitum fundit: summum persequitur: nec prius uictoriae modum imponit: quam Hunuldum ex omni aquitania pulsum in proximam regionem: quam nunc Vasconiam uocant compelleret. Lupus: qui huic puincia dominabatur: propinquus ac familiaris uiri misericordia motus Hunuldum ad se fugientem comiter hospitaliterque accepit. Euenire. n. solet: ut principum afflictae fortunae facile eorum opes ad misericordiam alliciant: qui sunt in simili dignitate ac potestate constituti. Verum Carolus: cum non minore uictoria in capiendo hoste: quam in subigenda aquitania collocata putaret: traiecto Garunna flumine ac exercitu propius admoto legatos ad Lupum misit: qui dicerent: ut nisi Hunuldum hominem infestum nomini Francorum quamprimum ad se adduxerit: se eum hostis loco habiturum. Lupus his mandatis uehementer commotus: ac ueritus ne potentissimum regem totaque belli mole: quam sustinere non potuisset: in se unum conuerteret: salutare sibi ac gratum Carolo consilium cepit. nulla. n. interposita mora Hunuldum simul & seipsum una cum puincia Caroli potestati permisit. Sic igitur Carolus in Aquitania compositis rebus belloque citius omnium opinione confecto cum uictore exercitu in regnum reuertitur. Post Aquitanicum bellum Hadrianus Romanae ecclesiae pontifex a Desiderio Langobardorum rege uehementius quam uires suae paterentur oppressus: cum propriis praesidiis ecclesiae statum tueri non posset: oratores ad Carolum misit: qui multis precibus eum rogarent: ut romanae ecclesiae in summo periculo constitutae opere & auxilium ferret: ac Pipini patris Carolique Martelli: qui olim in italia aduersus hanc nationem egregie pugnauerant: memoriam renouaret: Carolum multae res hortabantur: quare pontificis defensionem suscipiendam & Langobardorum audaciae quacumque ratione occurrendum putaret. In primis quod non ignorabat caput christianae fidei rem Romanam esse: eique tam graui bello laboranti non subuenire turpe simul ac periculosum esse censebat: indignabatur praeterea quod Barberae gentes tandem in italia regnarent: & a maioribus suis saepe praелиis uictae nondum contineri possent: quin pontificibus romanis contra ius fasque ultro bellum inferrent. Quare his rebus antequam ulterius augerentur Langobardorum uires quamprimum occurrendum ratus legatos ad Desiderium mittit: qui eum hortetur: ut fine iniuriis faciat: ab armisque discedat: ac omnia oppida quae aut ui occupata essent aut sponte ad eum defecissent pontifici Romano restituar. Haec si fecerit: sibi perpetuam gratiam atque amicitiam cum eo fore polliceant: sin uero quod facturus uidebat: mandata neglexerit: ei suo nomine bellum indicat. dum legati proficiscuntur: interim Carolus non segnius: quam si hostes in Gallia essent exercitum parat: nullam proficiscendi moram facturum si desiderium regem pseuerare in bello cognouerit. Haec expeditio per omnem Galliam uulgata adeo grata cunctis Francorum populis erat: ut iam palam uociferaretur maturandum in italia esse: toties a se uictam Langobardorum gentem uires resumere: conditiones acceptas negligere: semper bella ex bellis serere itaque nunquam quieturam nisi eorum nomen penitus deleat. Sic igitur omnium animis in expectationem belli erectis legati a Desiderio redeunt nunciantes omnia ibi hostilia esse: Regem maiusquam ante bellum moliri: & quantum coniectura assequi possunt. nunquam iniuriis sine factum nisi cum sibi uires & arma ad inferendam iniuriam desint. Carolus his rebus uehementer commotus maturandum sibi existimauit: ne ante Romanus pontifex opprimeretur: quam ei ferre subsidium posset. Itaque re frumentaria caeterisque ad bellum necessariis quam celerrime potuit comparatis: magnis itineribus in italia contendit: sed multa huic suae festinationi aduersabantur: montium altitudo: locorum angustiae & pene inuii saltus: per quos milles honustis armis & impedimenta exercitus ducenda erant: Accedebat quoque Alpium iuga praesidiis hostium tenebantur. Miserat enim Desiderius qui occupatis opportunis locis: quantum possent Francorum transitum prohiberet. Haec cum ita essent: Carolus tamen non ignarus res praecclaras labores maximos maxima quoque pericula sequi: suos hortatur: ut quoad locorum angustiam patienter: seruatis ordinibus ire ad hostem pergant. Appropinquanti alpium iugis nunciatum est: hoste relictis angustis se in planum recepisse seu metu perterritos seu quia tutius faciliusque esse arbitrarentur: descendenti ab alpibus Carolo cum omnibus copiis confestim occurrere.

CAROLI MAGNI

Vix ad desiderium perlatum erat Francorum exercitum post paucos dies in Italia fore. Cum carolus superatis iam alpi- bus in agrum Taurinum descendit. Vbi primum Hannibalē carthaginensem alpes transgressum cum oibus copiis constitisse tradit. Eo in loco carolus paucis diebus refecto milite cum per exploratores praemis- sos certior factus esset. Desiderium regem prope Vercellas castra habere ac ibi cum ingenti exercitu aduen- tum expectare: nihil ultra differendum ratus ex taurinis mouit: atque continuatis castris in agrum Vercellen- sem peruenit. Erat carolus uirtute militum & rei militaris peritia longe superior multitudine uero ac nu- mero hominum a Desiderio uincebat. Cum prope in conspectu exercitus essent facta utrinque potestate pu- gnandi praelium commiserunt. In ea pugna superati Langobardi in fugam uertuntur magna parte suorum amissa. Desiderius postquam suos passim fusos fugatosque conspexit: citato gradu Papiam: quae caput regni erat cum paucis militibus petit. Nec segnius carolus priusquam se hostes ex terrore fugaque reciperent: regem per- secutus in agrum ticinium exercitum ducit: extemploque omnibus copiis ad moenia regiae urbis admotis tentat si primo impetu capi posset: Vbi id parum proceffit: consiliisque ab oppugnanda urbe ad obsiden- dam uersis sub ipsis moenibus castris locat: subsidiaque firma neque eruptio fieri possit: portis opponit. Ca- terum cum satis constaret Desiderium regem priusquam deditioem faceret paratum esse etiam ultima ex- periri: carolus parte copiarum ad obsidionem relicta: ipse cum reliquo exercitu ad transpadanos contendit. Ibi ciuitates permultae audita fama uirtutum suarum rebusque prospere gestis. Certatim ad eum deficiunt. Sed quod in primis ei gratissimum fuit: filii carolomani: qui extemplo post mortem patris malo consilio temeritatem matris secuti ad Desiderium regem perfugerant: sponte in sua castra uenerunt: ac se suaque om- nia potestati caroli permiserunt: a quo benigne excepti magnaque affecti honore etiam in posterum filiorum loco habiti sunt. Post haec carolum cum studio salutandi pontificem: tum Desiderio uisendi celeberrimum beati Petri templum Romam profectum ac incredibili honore ab adriano susceptum post paucos dies ad obsidionem rediisse conperio. Erat obsidio uehemens & frumenti cum summa caritate inopia sedendoque expu- gnatos se urbem spem Fracii habebant. Oppidani e contra infessis omnibus uis: per quas com meatus ex proximis locis subuehebantur: diffidebant inopiam diutius ferre posse. Rem tamen quantum poterant per- ducebant beniuolentia alii alii metu Desiderii regis compulsi. Postremo spe quoque non solum cibo deficiente: cum fame ulterius tollerare non possent sexto mense quo obsideri sunt coepti: deditioem faciunt. Capitur Deside- rius una cum uxore ac liberis: quem ultimum Langobardorum regnum in italia regnasse tradunt. Tunc enim summo beneficio caroli italia se primum erexit: quae antea diutius quam uictorice omnium gentium prouinciam decuit: Barbarorum immanitate oppressa iacuerat. Nam post sedem Romani imperii Bizantium translata Gothi primi Barbarorum: diuersis deinde temporibus Hunni: Vandali: Heruli postremi omnium Langobardi ue- luti in uacuum possessionem ruentes italia inuasere. Eam gentem tradit fama ab Oceano Germaniaque ultimis oris: unde illis haud dubie origo fuit nouas quaerentem sedes in proximas regiones transisse ac Van- dalos: Herulos: Gepidas aliasque finitimas gentes ibi & Aione ducibus saepe bello superasse: mutatisque fre- quenter sedibus tandem intra pannonias constitisse. Inde Albuinus eorum Rex accersitus ab Narsete Eu- nucho (ut quidam memoriae prodidere) cum praeter Langobardorum multitudinem uiginti quoque Saxonum mi- lia spe optimae sedium exciuisse: profectus ingentibus peditum equitumque copiis in italia uenit. Breuiterque uentum: Veronam: Mediolanum: ac omnis pene citerioris Galliae urbes partim peste: partim Gothorum cladibus exinanitas ad deditioem compulit. Papia uero cum tres annos obsidione rullisset: tandem & ipsa fame do- mita Barbarorum imperio cessit: Nec ambiguit qui idem rex paucis annis totam italia subegisset: ita omnia apud italos perita erant: nisi sexto supra triennium mense postquam italia ingressus est: apud Veronam iteriisset dolo uxoris Rosemodaecae necatus. Huic successit Dephon insignis nobilitate uir: Albuino nequaquam uirtute par: sed crudelitate ac immanitate naturae longe superior. Eo quoque intra biennium uita functo Langobardi decem deinde sequentibus annis nullum sibi regem creauere siue superbia proximi regis huic generi dominationis in- fensi: siue gubernationem suorum ducum utiliorem rati: qui iam per omnem italia uagantes ita impi- gre bellum gerebant: ut nunquam eo tempore sit regia desiderata potestas. Sub his ducibus adeo cruere Langobardorum opes: ut Hetruria: Flaminia: Piceno: sannio aliisque regionibus subactis omnem italia a Bru- dusio Tarentoque usque ad Alpes tenerent: praeter urbem Romam: quam constat in huius gentis pote- statem nullo unquam tempore deuenisse. Finito decennio reditum est rursus ad pristinam consuetudinem creandi reges: seruatumque deinde per omne tempus usque ad Desiderium: qui ultimus Langobardorum regum in italia fuit. Quo debellato (ut supra memorauimus) Carolus magnus grauem eius gentis domi- narum quarto & ducentesimo anno quo regnare inceperant: a ceruicibus italorum dimouit: ac omnes ciui- tates: quae ad Desiderium proximo bello defecerant: recuperatas pontifici Romano restituit: Beneuentanum quoque ac spoletanum agrum adiecit. Quibus meritis Hadrianus pontifex: Cum nullum maius gra- ti animi indicium posset ostendere: conuocato frequenti episcoporum coetu eximioque celebrato concilio mul- tis ac maximis priuilegiis eum ornauit. Carolus confecto Langobardorum bello: potentissimo rege capto cum alia quoque magni ponderis animo moliretur: nullam moram interponendam putauit: quin in Galliam confestim redi- ret. Saxonum quippe intermissum bellum eum domum reuocabat: quod ego biennio antequam Carolus ad li- berandum Romanum pontificem in italia ueniret: & incertum simul & a praefectis eius per id tempus leni- ter administratum conperio: quo magis adducor ut uirtutem uiri ac animi magnitudinem admirandam putem: quod posthabitis ferocissimis hostibus: relictoque domestico bello rem suam neglexerit: ut italia ecclesiamque Romanam: qua omnium christianorum: salus continebatur: ab immanitate Barbarorum liberaret. Saxo- num gens longe maxima erat ac etiam bellicosissima pene germanorum omnium. Hi falsos colentes deos: cum

neque diuini neque humani iuris quicquam pensi haberent: nihil æque ac religionem nostram homines: que ei dediros oderant. Proximi erant Franci: cum quibus continenter bella gerebant. Sæpe præliis uicti conditiones acceperant: Obsides dederant: Sed nondum apud Francos erat inuentus qui domita penitus eorum perfidia plenissimam esset uictoriam consecutus. Hæc palma cum Carolo Magno quasi diuino numine referuata uideretur: non solum consilio principes sed passim omnes clamoribus agunt: ut aduersus perpetuos Francorum hostes totis uiribus arma sumantur: Carolus uero tempus uenisse ratus: in quo non modo Barbarorum hominum audaciam frangere: sed etiam eorum regnum: quod multo ante animo agitauerat: funditus euertere possit: ingentem exercitum parat: diem dicit qua die prope ripam fluminis. Reni omnes conueniant. Nunquam alias maiori alacritate contentioneque animorum suscepta a Francis expeditio est. Hinc odium gentis: hinc spes bene gerendæ rei animum excitat: Sed supra omnia studium auget præsentia regis: cuius ductu auspicioque non modo Saxonum gentem: Sed etiam orbem terrarum (si uelit) superare se posse credebant. Has spes cogitationesque secum portantes in hostilem agrum ducuntur. Sic igitur renouatum est cum Saxonibus bellum: quo nec maius ullum: nec grauius diuturniusque a Carolo gestum comperio. Tres enim & triginta annos cum ferocissimis gentibus certatum constat plusque eo bello: quam reliquis omnibus detrimenti acceptum: interemptis plerisque fortissimis uiris: quod diu sub auspicio. Caroli egregiam operam nauando meruerant. Saxones hoc tempore multotiens superati obsides dabant: imperata se facturos pollicebantur: nec multo postea recuperatis uiribus maiusquam antea bellum ciebant: ut facile appareret homines feros: quod sibi persuasissent cæteris aliis uirtute præstare: paratos esse etiam ultima experiri: antequam armis Francorum aut cuiusquam alterius gentis potentia cederent. Factum est tamen summa uirtute & incredibili constantia Caroli: ut nunquam illi defecerit quin confestim debitas pœnas suæ perfidiæ dederint. Eueris domus: Dissipate fortunæ: Liberi in seruitutem tracti omnibus documento fuere nullum in falsis diis præsidium esse. Sic igitur usque in tertium supra trigessimum annum bellum protractum: in quo quidem bello bis tantum collatis signis pugnatum tradunt semel apud Oneggium montem: quem locum incolæ Theomille appellant: nec multo interiecto tempore apud Hefam fluuium: ubi penitus Saxones debellati se suaque omnia potestati Caroli permisere. Victis impositæ leges: ut patriis cerimoniis falsisque diis posthabitis christianam fidem profiterentur: magnum numerum obsidum darent: modicis terminis septi neque aliis iniussu Caroli bellum inferrent: neque illatum propulsarent. Decem deinde sunt hominum milia cum uxoribus & liberis in galliam transportata: Atque uariis locis iussu Caroli distributa. Cæterum durante saxonico bello multas interim expeditiones a Carolo susceptas ac ita egregie administratas inuenio ut per uniuersum urbem fama maneret. Francorum regem non sine diuina ope bella gerere. Erat autem Carolo in bellis gerendis hic primum propositus finis: ut christianæ fidei legem quantum in se esset: extolleret: ac omnes populos: qui ei aduersabantur: non solum deprimeret: sed etiam si fieri posset euerteret. Cum uero ea tempestate Barbaræ gentes: quæ nostræ religioni perpetuum bellum indixerant: Hispaniam graui seruitute oppressam tenerent Carolus rei indignitate commotus ad eam liberandam mentem conuertit. Id autem fieri posse arbitratur si ingenti celeritate exercitu in Hispaniam ducto prius hostes opprimeret: quàm illi parare subsidia possent. Ad hanc igitur rem aggrediendam satis iam omnibus comparatis castra mouet: & quam maximis potest itineribus in Hispaniam transire contendit. Nec iam miles grauatim sequebatur: quod iam diu animum induxerat: Quocumque a rege Carolo duceretur: ad certa belli præmia exploratæque uictoriam duci: inter hæc ciuitates Hispaniæ. quæ propinquiore erant finibus Galliæ: incertis rumoribus excitæ aliquantulo sibi suisque rebus timere inceperant. Postquam uero per Pyrenæum saltum traduci exercitus coeptus est: rumorque per Barbaros manauit de aduentu Francorum certior: ingens repente trepidatio populos omnis inuasit: non satis gnaros quid aduersus tantum tanque horrendum hostem sibi agendum aut parandum foret. Carolus confestim superatis Pyrenæi iugis cum in fines hostium peruenisset: militibus imperat: ut quam latissime possint uagentur: & quam maximum hostibus terrorem inferant. Extemplo ciuitates nonnullæ: cū ad petenda externa auxilia non sufficeret tempus: nec propriis præsiidiis res suas tueri possent: sponte deditionem faciunt augusta & Pampilonia duæ opulentissimæ totius Hispaniæ urbes: quæ madata caroli aspernebant: uic captae ac prædæ militibus datae: cū alteram Franci ad solum euertissent: alteram mœnibus nudassent: tantum terroris omnibus gentibus iniecere: ut quas adissent quasque nō adissent pariter ultimæ propinquis imperio parerent. Sic igitur Hispania pene omnis in Francorum potestate deuenit. Victis præcipuæ imperatum: ut falsis relictis diis cristianæ fidei legem acciperent. Carolus rebus foelicissime gestis: cum incolumem exercitum in Galliam reduceret: prope Pyrenæi iuga infinitimarum gentium: quas nunc Vascones uocant: insidias incidit. insederat. n. Barbari in occultioribus locis expectantes occasione gerendæ rei. Vbi uero Francoꝝ copias in angustiore uia deductas uiderunt: repente: ex iugo insuper iminenti nouissimū agmē adorti ingētē cedē stragēque dedere. Nam Franci: cum neque euadere possent in iugum: a Vasconibus occupatum: neque se explicare: suo metipsi agmine in arcto hærentes: simul ab hostibus: simul ab iniquitate locorum oppugnabantur. Nec iam primi in tam augustis locis ita celeriter uertere aciem poterant: ut ultimis in extremo periculo constitutis opem in tempore ac subsidium ferret itaque & si animo uiribusque longe superiores hostibus forent alienis: tamen locis pugnantes uitare nō poterunt: quin eo die insignē cladē acciperent. Cecidere in ea pugna dolo hostiū nō uirtute commissa Anselmus ac Egibardus summi in bello duces: aliique permulti fortissimi uiri quorum opera Carolus sæpe in maximis certaminibus egregia usus erat. Sunt etiam: qui Rolandum Caroli ex sorore nepotem præstantem

CAROLI MAGNI

fortitudine uirum post ingentem hostiū editam cædem eo prælio interiisse dicant. Hic ē Rolandus quem fama est tempestate sua corporis robore & animi magnitudine longe cæteris aliis præstitisse: cuius fortia facta per uniuersum orbem iam clara nostris quoq; temporibus celebrantur. Vascones sequenti nocte antequam Franci uires colligerent: per nota itinera præda magisquam armis onerati se in tutum receperunt. Nec tamen illis diutina læticia fuit, Quippe paulopost ii populi ac eorum reges a Carolo domiti meritas perfidiæ suæ debitasque pœnas dedere. Britones quoque: Qui sub idem prope tempus Caroli mandata neglexerant. Bello superati in francorum potestatem uenere. In initium post hæc maximi futuri belli: si ulterius processisset: in italia ortum auctoribus Beneuentanis atque Araisio eorum duce: qui cum aperte descissent: studio magis nouarum rerum quam certa ratione adducti arma exercitumq; parabant. Finitimas gentes excibant: ut pontifici Romano contra ius fasque ultro bellum inferrent. Quibus rebus in Galliam perlatis Carolus in italiam rursus ad comprimendas populorum seditiones quâta maxime celeritate potest: contendit: ac cum omni exercitu Capuam usque progressus tantum terroris Beneuentanis iniecit: ut extemplo Araisus filios suos: Beneuentani uero nobilissimos ciuitatis obsides darent: Ac iureiurando adacti pollicerentur se in posterum neque iniussu Caroli arma sumpturos: Neque reculatuos quominus perpetuo sub Romanæ ecclesiæ ditione atque imperio essent. Hæc adeo mature confecta accepimus: Ut eodem prope tempore in Galliam perlatum esset Carolum in Campaniam cum omni exercitu peruenisse: & Beneuentanos metu conterritos deditioem fecisse. Verum dum hæc in italia geruntur: iterim Taxillo Bauariæ dux uxoris (ut tradunt) stimulis concitatus copias: cogit: finitimas gentes sollicitat. Hunnos qui ea parte: quam Bauaria in orientem spectat: Sibi confines erant societate & foedere iungit. Hæc omnia clandestinis consiliis conscire studet: ut Francos nil tale opinantes repentino bello adoriatur. Erat autem ei coniunx desiderii regis Langobardorum filia: quæ fortunam patris iniquo animo ferens: nec nocte nec interdium uirum conuiuiscere pati: monere atque rogare: ut meminisse uellet socerum suum clarissimum regem: qui antea in locupletissimo regno constitutus alius imperitare solitus esset: nunc graui seruitute detentum omni morte miseriorem uitam ducere. Neminem esse præter eum: qui possit & debeat seruentem regem in libertatem uendicare. Hoc finitimas gentes: qui fortunam Desiderii misereantur: expectare: hoc tacitas petere: quod si uir esse uelit: habere propriis uiribus etiam externas adiunctas opes: Quibus sultus commode possit hanc dedecoris notam socero pariter generoque: iniustam egregiis factis delere: ac sibi posterisque suis perpetuam gloriam comparare. His muliebribus instructus furis Taxillo ingenti studio arma exercitumque parabat: ut Francorum genti omni parte inferior ferociter magis: q̄ prudenter bellum inferret. Quibus rebus cognitis Carolus: quia magni interesse etiam in reliquum tempus ad opinionem gentium arbitratur: tantas uideri Galliarum facultates: ut non modo sua tueri: sed etiam aliena aggredi posset: celeriter profectus priusquam hostes cum sociis iungerentur: in fines Bauariæ cum omni exercitu uenit castrisque ad Lecum fluuium: Qui Bauaros a Lemannis diuidit: positis: legatos ad Taxellonem misit hortatum ut Francorum mansuetudinem q̄ arma & uim experiri mallet: atque idem finitimis gentibus quas in belli societatem traxisset: suaderet. Taxillo siue his mandatis conterritus: siue sociorum auxilio destitutus nulla tentata fortuna belli Caroli imperio sine ulla exceptione parere cōstituit. Itaq; ei omnium rerum suarum potestate permessa deditioem fecit: Obsides dedit: in his Theonem filium suum aliosque permultos lectissimos iuuenes: quorum patres precipua in ea prouincia auctoritatem habebat. Sub idem prope tempus Abodriti ueteres Francorum socii legatos ad Carolum mittunt: qui pro antiqua amicitia societateque olim cum Francis inita aduersus Velatabos auxilium petant. Est sinus Oceani maris in extremis Germaniæ finibus: qui ab occasu in orientem uersus centum ut aiunt prope milia passuum extenditur. Circa hunc Sinum ea tempestate Abodriti: Velatabi: Nortomani aliarque Barbaræ gentes incolebant. Insulas præterea propinquo mari frequenter sparsas tenebant: Bella inter se (sicuti inter finitimos populos: plærumque fit) continenter gerebant. Cum igitur Velatabi perpetuis excursionibus cædibus incendiis Abodritos inuaderent: nec ullis præsiidiis remoueri ac iniuria possent: Abodritorum legati in Galliam uenerunt opem aduersus suos Francorumq; hostes pro iure societatis petentes. Benigne hospitaliterq; suscepti auxilio impetrato grata responsa domum rettulerunt. Profectus deinde cum exercitu Carolus sitius omnium opinione bellum confecit. Barbaros ex sociorum finibus expulit: expulsos ad deditioem compulit: ac iureiurando adegit: ne in posterum Francis Francorumque sociis aliisue finitimis gentibus iniussu suo bellum inferrent. His rebus gestis cum in magna gloria magnisque opibus regnum ac tota res Francorū esset: statuit Carolus aduersus Hunnos: qui hostibus suis auxilia sumministrauerant: bellum suscipere. Hunnorum gentem Scythicam fuisse accepimus incoluere primo supra meotida paludem. Inde ingenti multitudine profecti mutatis sedibus in Pannoniam uenere: atque hunc locum sibi domicilium delegere: Ea uero tempestate qua Carolus eis bellum indixit: abundantissimi diuitiis erant: & post Saxones armis uirisque opulentissimi. Habebant præterea finitimos populos partim metu partim beneficio obstrictos & iureiurando adactos: ut in omnibus bellis pro sua quisq; facultate rem Hunnorum iuuant. Quo igitur uires Hunnorum maiores erant: eo maiore studio Carolus omnia sibi: quæ ad maximū bellum pertinerent: curanda agendaq; censebat: ut cū uirtute hostibus longe Franci præstarent: uiribus quoq; aut pares aut superiores essent. Summa igitur diligentia: tum ratione atq; consilio omnibus comparatis castra mouet atq; exercitum & uiris & armis peregre in Pannoniam ducit. Hoc ego bellū partim a Carolo: partim a filio suo Pipino apud plerofq; auctores gestū cōperio. Victi multis plis Hunni tandem octauo anno postquam bellum inceperat penitus superati imperio Caroli paruere. Quotiens

uero cum hac gente iusta acie pugnatum sit: quæue aut quætæ hostium copiae in eo bello ceciderint quia
 raræ per ea tempora litteræ fuere: Difficile ad fidem est exacto affirmare numero. Illud certe constat nul-
 lum unquam bellum a Carolo gestum: in quo maior sit hostium cædes edita maiorque illata clades: In eo enim
 oēs auctores conueniunt: ingentem Hunnorum multitudinem & pene nobilissimam quæque eo bello absum-
 ptum: maximam quoque uim auri atque argenti multaque preciosam suppellectilem: quæ Hunni ex uariis gentibus di-
 reptam in suum regnum cogerant: a Francis inuentam atque in Galliam transportatam. Totam denique hunnorum
 rem tam multiplici clade affectam: ut nullum ferme pristinae potentiae: quæ antea longe lateque patebat: ue-
 stigium remaneret. Franci deuicta Pannonia ac opulētissima gente subacta: graues hostium spoliis in Ga-
 liam reuertuntur. Periere in eo bello Hericus ac Geroldus duo clarissimi Francorum duces. In reliqua mul-
 titudine parte detrimēti acceptum. Sub idem tempus Adalgisum Desiderii filium: qui ante expugnationem Papiæ
 ex Transpadanis in Græciam perfugerat: cum magna manu ad repetendum regnum in Italiā redeuntē a Francis su-
 peratum præfectorum auspicio suppliciorumque affectum quidam auctores sunt. Addunt etiā non multo postea duo eo-
 dem prope tempore exatisse bella: Boemicum scilicet & Linonicum atque ambo a Carolo iuniore ita celeriter esse con-
 fecta: ut facile appareret præstantissimi patris non dissimile esse filium. Secutum est post hæc aduersus Nortom-
 manos bellum: qui Abodritis subactis cum dicto Gotofridi regis Galliarum Germaniarumque littora prædatoria clas-
 se uexaret: iamque Gotofridus nimia superbia & temeritate elatus Erisiæ. Saxoniarumque omni Galliarum arma-
 minaretur: palamque iactaret se breui Aquisgranibus ubi Caroli regia erat: cum ingentibus copiis petiturum: non puta-
 uit Carolus sociorum iniuriam ac huius hominis effrenatam audaciam ulterius esse ferendam. Itaque omnibus necessa-
 riis ad bellum celeriter comparatis in Nortomannos exercitum ducit: classem per Oceanum mittit: ut ter-
 ra marique simul hostem inuadat. Vix non diutius ei laborandum fuit: quia Nortomanni paulopost Goto-
 frido rege a proprio satellite interfecto: se suamque omnia fidei & potestati Caroli permisere. Cum hic status rerum
 in Gallia esset: interim Romani aduersus Leonem pontificem coniurationem ineunt: eumque nec lesi nec laesiti per
 iniuriam urbe expellunt. Quibus rebus legati ad Carolum ueniunt: multis precibus pro Romano pontifi-
 ce auxilium aduersus coniuratos petēs. Hos Carolus consuetudine sua benigne accipit: eorum animos uer-
 bis confirmat: magnam spem se habere dicit Populum Roma. uel beneficio uel auctoritate sua adductum
 finem iniuriis facturum: quod si perseverare in iniuria uelit: nullam dimicationem recusaturum pro Roma-
 næ ecclesie dignitate: cui deesse: quoad uita superat: aliis principibus christianorum turpe. Carolo etiam
 nefas sit. Nam iam pridem ecclesie Romanæ patrocinio suscepto nihil ei antiquius erat: quam apostolicæ sedis
 dignitatem tueri: statum seruare auctoritatem extollere: iniuria ac maleficio prohibere. Itaque cum ea con-
 iuratio magni ponderis esset: & præsentia sua indigere uideretur: extemplo cum exercitu profectus in Ita-
 liam contendit. Primo aduentu omni motu sedato. Noxiis supplicio affectis pontificem Romanum cum
 ingenti gloria in urbem restituit: a quo mox pro suis egregiis meritis & singulari erga libertatem omni-
 um christianorum fide Augustus appellatus: imperatorium nomen dignitatemque suscepit: non solum
 assentiente sed etiam applaudente populo Romano. Hoc tempore primum summi imperii dignitatem:
 quæ trecentis ante & triginta annis fuerat amissa: & iam nimia uetustate oblitterata: egregia uirtute Caro-
 li occidenti restitutam tradunt. De quo quidem non alienum uidetur pro cognitione rei altius aliquanto
 repetere. Urbem Romam: sicuti grauissimi auctores memoriae prodidere: initio reges gubernarunt. Si nul-
 lis legibus obnoxii domi populum: exercitum foris pro suo arbitratu regentes nunc belli nunc pacis arti-
 bus rem Romanam artificem auxere: eoque nutriendo perduxere ut bonam frugem libertatis maturis iam uiribus
 ferre posset. Tarquo deinde superbo ob immodicam dominandi licentiam regno exacto: regia potestas peni-
 tus in urbe cessauit. sub consulibus postea ac dictatoribus consularique potestate tribunis: qui fuerunt libe-
 ro populo magistratus: & res & nomen emerit imperii. Africa pene tota magnaque Asia parte ultra Al-
 meniam & caucasum montem armis subacta: Europæ uero Hispaniis: Gallis Græcia: Thracia Aliisque sub-
 inde regionibus bello domitis longe lateque Romanorum opes patuere. Hoc tam amplo per quadringen-
 tos sexaginta annos ab una republica parto auctoque imperio frui deinde per intestina arma non licuit: quo-
 rum causa atque initium traditur ex immodica cupiditate regnandi & certamine factionum ortum: quæ sem-
 per fuerunt eruntque pluribus populis magis exitio: quam bella externa. imperatores hinc creati coepti: quod an-
 te armorum castrorumque nomen fuit: id tanquam intestino uigente bello intra moenia inductum uerbo que-
 dem legitima potestas: re autem uera dominatio erat. Qui enim republica occupata Romanis dominaba-
 tur: imperatores se appellari non solum æquo: sed etiam libenti animo patiebantur: quia imperatorium
 nomen & gratius & tollerabilius Romæ erat: quam quisquam titulus: qui dominationis speciem præ se ferre
 uideretur: eratque imperatoria dignitas apud priscos Romanos longe inferior regia dignitate. Cur autem po-
 stea hoc imperatorium nomen in tanto præcio habitum: sit causam fuisse existimo: quia cum illi que reip. Ro-
 manæ totique pene terrarum orbi dominabantur se nuncuparent imperatores: forte posteriores credidere: si-
 cuti illi potentia cæteros alios anteibant: sic etiam nomen quo utebantur: reliquis omnibus anteposendum
 esse. Hinc talis opinio orta: deinde multis temporibus inueterata obtinuit: ut imperatoria dignitas oibus
 aliis excelentior haberetur. Sed ab initio quidem singulis imperantibus cum Nerua primus alique postea simi-
 li exemplo ducti sibi consortem imperii delegissent: duo interdum principes eodem tempore extitere: qui se Ro-
 manorum nuncupabant imperatores. Postea uero quam Constantinus relicta roma ad orientem descendit: factum
 consuetudine est: ut diuisim illud orientis: hoc occidentis imperium diceretur. Eo deinde uastantibus
 italiam Barbaris tempore Odoacri torcilingorum regis: qui Angustum bello superauit: sublatum impe-
 rium trecentis & triginta annis in occidentem cessauit tot enim ab Angustulo ad Carolum magnum fuere

CAROLI MAGNI

quem a Leone pontifice imperatorem diximus appellatum. Carolus Francorum rex ac romanorum imperator post amplissimam dignitatem susceptam cum in Gallia rediturus iter per Hetruriam faceret: in memoriam dignitatis adeptae Florentiam urbem quam olim magna ex parte deleuerant Gothi: in pristinum statum cum summa celebritate restituit: omnemque nobilitatem per oppida uicina dispersam in ciuitatem reduxit: nouis moenibus cinxit: templis ornauit. Quibus meritis quantum Caroli nomini eiusque successoribus nostra ciuitas debeat: nec litteris explicari nec ulla oratione exprimi potest. Quod enim in solo patrio sumus:que liberi uiuimus:que magistratus: leges ciuitatem habemus: ea omnia Carolo accepta sunt referenda: ac eius memoria cum grata recordatione perpetuo celebranda: ut homini tam praecclare de nostra patria merito si non parae beneficiis suis: saltem aliquam per uiribus nostris gratiam referamus. Illud autem loco summae gloriae florentiae urbi tribuendum puto: quod initio eam condidere Romani: conditam deinde ac Barbarorum furore euerfam: Romanorum quoque clarissimus imperator restituit: ut non tantum doloris ex deiecta: quantum laetitia ex restituta patria florentinis accederet. Cum reuertisset in Galliam Carolus exceptus est eius aduentus ab omnibus populis incredibili honore atque amore. Festi celebrati dies: omnibus ciuitatibus supplicationes decretae publice priuatimque ei gratulationes cum effusa laetitia factae. His rebus tam egregie a Carolo gestis addunt scriptores nonnulli rem maximo memoratu dignam quam ego ut certam affirmare: quia nulla apud alios auctores eius rei mentio est: nec ut incertam relinquere aulim. Tradunt enim cum Hierosolyma graui Barbarorum dominatu oppressa teneretur. Carolum Constantini imperatoris precibus euocatum simul & rei indignitate commotum ad liberandum sanctissimum locum: ubi omnium gentium salus est orata: cum ingenti exercitu accessisse: profligatisque Barbaris ac ex omni prouincia pulsos christianos in urbem restituisse: firmisque praesidiis munitam reliquisse: profectum deinde Bizantium & a Constantino incredibili laetitia acceptum. Magnaque affectum honore paulo post in Galliam rediisse. Haec si ita sunt hanc expeditionem factam esse oportet: antequam Carolus ad restituendum Leonem pontificem in Italiam ueniret: quia satis constat post imperatoriam dignitatem susceptam nunquam Carolum in orientem esse profectum. Haec bella septem & quadraginta annis (tot enim regnauit) incredibili foelicitate tum magnitudine quadam animi: tum etiam ingenii atque consilii Carolum non solum gessisse sed et confecisse tradunt: quibus regnum satis amplum a patre acceptum longe maius auctiusque posteris suis reliquit. Nam paterni regni fines in Gallia Rheno: Ligeri: Oceanoque & in Germania: Danubio: & Sala fluuio: qui Turios a Sorabis diuidit: continebantur. His aquitania: Vasconiam: Hispaniam pene totam & eam Italiae partem: in qua Longobardorum regia fuerat: bellica uirtute adeptam Carolus magnus adiunxit. Adiecit etiam Saxoniam: quae est non modica Germaniae pars: tum utrunque Pannoniam & ultra Danubium: Dariam: Histriam & totum Liburnorum regnum: Dalmatiam quoque praeter maritimas ciuitates: quae Constantinopolitano imperatori parebant: omnes denique Barbaras gentes: quae germaniam inter Rhenum Oceanum ac Danubium incolunt: partim armis subactas: partim beneficio allectas in suam potestatem redegit. His tantis oppibus tot atque rebus egregie gestis: eam sibi famam non solum in Gallia: sed etiam per uniuersum orbem Carolus comparauerat: ut undique ad eum legationes concurrerent: gratiam atque amicitiam publice priuatimque peterent. Quinetiam memoriae proditum est Persarum regem: cuius opes in Asia longe lateque patebant: Caroli fama adductum legatos cum magnificentissimis donis misisse in Galliam: qui eum rogarent: ut se in amicitiam susciperet. Cum imperatoribus quoque Constantinopolitanis beniuolentia fuit & societate coniunctus: quique post dignitatem imperatoriam Romae acceptam Caroli fama illis & suscepta quoque potentia foret. Caeterum enarratis bellicis rebus: Quae uisae sunt nobis cognitione & memoria dignae: nunc opere precium esse existimo Caroli habitum: naturam & mores: tum ea omnia quae ad domesticam pertinent disciplinam breuibus uerbis referre. Tradunt omnes pene auctores: qui diligentius Caroli figuram describunt: procera illum fuisse statura: lato pectore: laetis humeris: magnis uegetisque oculis: naso paulo eminentiore. Forma denique & pulchritudine oris adeo eximia: ut decorem simul praese ferre uideretur cum regia quadam maiestate coniunctum. Habebat & in uoce splendorem & in incessu totoque corporis motu summam dignitatem. Promissam gerebat barbata: & siquando festi dies celebrandi erant: aut legati externorum principum audiendi: ueste auro contexta & gladio multis gemis ornato utebatur. Valitudine fuit prospera: nisi quod paucis annis antequam diem obiret: febre saepius laborabat. Venationibus Gallorum more adeo frequenter studebat: ut non niues: non montes siluamque cum etiam senesceret a tali exercitio reuocaret. Putabat enim laborem corporis ad sanitatem seruandam uehementer conferre. Tradunt praeterea eum balneis & aquae natura calidis plurimum delectatum: atque ideo Aquiligrani: ubi talis aquae ingens copia erat: diutius commorari solitum. Quinetiam consueisse amicos ac familiares & interdum omnis generis homines secum in balneas ducere: ibique alia confabulandi materia in medium allata longum sermonem trahere: atque ex eo non mediocrem uoluptatem capere. Fuit autem Carolus amicorum studiosissimus: pietate uero in parentes: amore in filios: humanitate in omnes sine controuersia caeteros alios superabat. Mater ei Berta fuit Heradii Caesaris praestantissimi Constantinopolitani Imperatoris filia: quam cum in omni uitae tempore: tum praecipue post Pipini mortem in summo honore & obseruatione habuit. Difficile fratris naturam ac multis suspicionibus laborantem ita patienti animo tulit: ut pro acceptis iniuriis saepe beneficia ei filiisque suis referret: Sororem quoque quae sibi unica erat incredibili amore dilexit. Denique omnem familiam suam tanta caritate complexus est: ut quidam scriptores dicant eum quocumque accederet: solitum esse filios filiasque omnes secum ducere. Fuit in remunerando largus: in puniendo mitis & clemens. Quinetiam tradunt: cum aliquando in expeditionem proficisceretur. Nothum filium: quem plerique spe regnandi iniecta opinionibus uanis imbuerant: Carolo insidias comparasse: ut eum de medio tolleret. Pauloque deinde conuersione detecta: mitissimum patrem scelerato ignouisse filio eiusque permisisse ut reliquam deinde uitam in quodam

monasterio ab oculis hominum remotam duceret. Hanc igitur mansuetudinem in puniendo: aequitatem in iudicando: moderationem in gubernando: quã Carolus publicis pariter ac priuatis rebus præ se ferebat: sic populi omnes admirabantur ut palam prædicarent: talem sibi regem diuino numine datum: qualem nunquam antea ausi essent optare. Illud præterea maximam ei beniuolentiam comparabat: quod erga hospites peregrinos & eos omnes qui paupertate nimia laborabant: summa profusaque liberalitate utebatur. Inopes uero: qui uirtute ac bonis moribus præditi erant: sæpe non modo pecunia iuuat: sed etiam honoribus manifestis affecit: ut uanam eorum opinionem argueret: qui neque honori magno locum: neque uirtuti putant esse nisi ubi effusa affluant opes. Cibi insuper & potus continentissimus fuit. Festis solum diebus atque id etiam raro conuiuia celebrabat: in cognoscendis controuersis hominum & diligentissimus simul & iustissimus habebatur. Libere ad eum querimoniae de aliorum iniuriis: facilesque aditus erant: benigna reddebantur responsa qua omnia quo rarius in maximis principibus reperiuntur: eo gratiora in Carolo habebantur. Sed omnium primum: ut erat diligentissimus religionum cultor: summa opera studioque curabat: ut episcopi per uniuersum regnum sacras aedes nimia uetustate dilapsas aut omnino reficerent: aut saltem renouarent: Ipse uero Aquisgrani ubi sedes regni eiusque regia erat: maximis sumptibus templum condidit: ipsumque marmoris columnis tum argento auroque cælato uehementer ornauit: ornatumque omnium rerum pulcherrimamque copia beatæ mariæ dedicauit. Multa quoque alia opera memoratu digna construxit: quæ ea tempestate tum pulchritudine tum magnitudine sua admirationem gentium commouebant. Nam pontem in rhenum apud Maguntiam: ubi quingentos passus fluminis latitudo patet: ædificatum a Carolo tradunt egregium sane opus & magnitudinem conditoris cunctis uisentibus præ se ferens. Regias insuper aedes uariis in locis ab eodem extructas dicunt & templa in multis ciuitatibus condita: qua nostris quoque temporibus extant: & religionem in Carolo: regalemque aium fuisse ostendunt. Verum ad has eximias regiasque uirtutes addiderat etiam Carolus eloquentiam copiamque dicendi & bonarum artium disciplinam: quam cum cæteris hominibus: tum iis qui sunt in summis potestatibus constituti magno semper decori atque ornamento fuisse. Præceptorem habuit Albinum: cui postea Alcuino cognomen fuit: uirum eruditissimum summumque philosophum: a quo non solum studium sapientiae: sed et præcepta oratoria artemque differendi accepit cuius opera tunc primum Parisiense gymnasium a Carolo institutum tradunt: quod deinde a posterioribus regibus seruatum auctumque eo dignitatis & gloriae uenit: ut nunc quoque celeberrimum per uniuersum orbem eruditissimorum hominum domicilium habeat. Carolus igitur ipse uis non modo latinis sed et grecis liberaliter institutus: filios quoque suos doctissimis hominibus in disciplinam dedit: ut a primis incunabulis bonis artibus erudirent. Filias etiam: ne ocio torperet: lanificio assuescere iussit. Habuit autem ex pluribus uxoribus pulcherrimam sobolem: sed ex Hildegarde foemina apud Sueuos amplissimo genere orta Carolum: Pipinum: Ludouicum filios: totidemque filias genuit. Ex his Carolum: qui maior natus erat: & Pipinum: quem Galliae citeriori præfecerat: prius quam diem obiret: amisit. Ludouicus ei relinquebat unicum senectutis refugium. Hunc pauloante mortem ad se uocatum summo consensu omnium principum Augustum appellauit: consortemque sibi delegit imperii: quæ res maximam ei apud omnes generis homines tum dignitatem: tum auctoritatem comparauit. Stabilium enim suis posteris non solum Francorum regnum: sed etiam imperatorium nomen summa concordia omnium uidebatur. Nec multo interiecto tempore cum uenatum consuetudine sua haud procul a regia aquisgrani esset profectus: domum rediit cum febre. Hanc abstinentia uel consueuerat superare se posse confidens: cum lateris etiam accessisset dolor: morbis simul & senectute confectus uita excessit ætatis suæ septuagesimo secundo & christiane salutis. xv. supra octingentesimum annum: quinto Kal. Februariæ. Eius deinde corpus in basilica aquisgrani: quã ille in uita tantopere coluerat: solemniter finere sepultum. tradunt: artumque auratum egregieque fabrefatum supra monumentum eius locatum: in quo imago illius sculpta tali epigrammate cingebatur. Caroli magni christianissimi imperatoris Romanorum corpus sub hoc sepulchro conditum iacet. Hic francorum regnum septem supra. xl. annos summa moderatione ac iusticia administrauit: idque belli pacisque artibus magnopere auctum posteris suis reliquit. Pauloante obitum eius multa prodigia uisa dicuntur. Nam & porticum: quæ erat inter Basilicam & regiam mirabili sumptu constructum: & pontem ad Maguntiam incendio conflagrasse: & auream pilam: quæ in culmine religiosissimi templi locata erat: fulgure tactam & deiectam tradunt: tribus annis antequam uita migraret: testamentum condidit: quo pecuniam uestes: uasa aurea argenteaque multamque preciosam suppellectilem triplici diuisam legauit. Duas partes uni & uiginti ciuitatibus regni: quas Metropolitanas appellant greci: ac eas episcopis dari iussit: ut illis in reficiendis ecclesiis & pauperibus iuuandis pro arbitrio uterentur. Tertiam uero partem uniuscuiusque ratione habita filiis filiabus: nepotibusque tum seruis & ancillis reliquit: Erant inter ceteros thesauros suos tres argenteæ mensæ: ac una aurea præcipue magnitudinis. Illarum trium unam quæ Constantinopolitanæ urbis similitudinem referebat: ad ornandum celeberrimum beati Petri templum Romam misit: aliam in qua forma urbis Romæ peregre sculpta erat: Rauennati Basilice dono dedit. Tertiam uero quæ totius urbis descriptionem continebat: ante illam: quã in ordine quarta numerauimus: filiis suis reliquit. Hæc Carolus summa diligentia ratione atque consilio: cum multi episcopi multique principes regni adessent: constituit. Quæ omnia Ludouicus eius filius ad successorem ex comætario post Caroli mortem diligentissime ac sanctissime referuauit.

FINIS.

Viroque illustrium uitæ ex Plutarcho Græco in latinum uersæ: solerti que cura emendatæ foeliciter explicantur: Venetiis impressæ per Bartolameum de Zanis de Portesio Anno nostri saluatoris. M. DCC. LX. die octo Mense Junius.



21. FEV. 11

BREVIATA EXTENSA

BREVIATA

EXTENSA

A	ā	an, ou am	p	per
	āium	animum	p̄	præ
	āi	animi	pōt	potest
B	āt	autem	pfatem	potestatem
			pti	partim
C	cā	causa	Q	
	cōis	cōmunis	q̄	quā
			q̄	qui, ou quæ
D	dīr	dicitur	q	qui
			qd̄	quod
E	e	est	q̄	quòd
	ē	en, ou em	q̄	que
	ēe	esse	q̄	quàm
	ēet	eslet	q̄bus	quibus
	ēt	etiam	qs	quis
F			R rōnem	rationem
G	grā	gratia	ꝛ	rum
H			S	
I	i	in	sñia	sententia
N	lris	litteris	T	
	n.	namque	t̄	tur
	nudum	nondum	t̄pe	tempore
O	ōis	omnis	t̄ps	tempus
P	p	pro		

TABVLA PRIMI LIBRI

Thefei uita	a car.	ii.
Romuli uita	a car.	vii.
Lycurgi uita	a car.	x.
Numæ Pompilii uita	a car.	xv.
Comparatio Numæ atq̃		
Lycurgi	a car.	xviii.
Solonis uita	a car.	xx.
Puplicolæ uita	a car.	xxiiii.
Comparatio Publicolæ		
& Solonis	a car.	xxvii.
Alcibiadis uita	a car.	xxviii.
Coriolani uita	a car.	xxxv.
Comparatio Alcibiadis		
& Martii	a car.	xl.
Themistoclis uita	a car.	xl.
Camilli uita	a car.	xlv.
Periclis uita	a car.	l.
Fabii Maximi uita	a car.	lv.
Pelopidæ uita	a car.	lviii.
Marcelli uita	a car.	lxiii.
Hannibalis uita	a car.	lxviii.
Scipionis Africani uita	a car.	lxxv.
Comparatio Hannibalis		
P.que Scipionis	a car.	lxxix.
Philopomenis uita	a car.	lxxix.
Titii Quinctii Phlaminii uita	a car.	lxxxii.
Comparatio Titii &		
Philopomenis	a car.	lxxxv.
Aristidis uita	a car.	lxxxvii.
M. Catonis Senioris uita	a car.	lxxxxi.
Comparatio Aristidis	a car.	lxxxv.
Timoleonis uita	a car.	lxxxvi.
Pauli Aemilii uita	a car.	c.i.
Agidis & Cleomenis uita	a car.	cv.
Tyberii & Caii Graccho-		
rum uita	a car.	c.xiii.
Lyfandri uita	a car.	c.xvii.
Scyllæ uita	a car.	c.xxi.
Comparatio Lyfandri		
Scyllæ	a car.	c.xxviii.
Pyrrhi uita	a car.	c.xxviii.
Caii Marii uita	a car.	c.xxxii.
Eumenis uita	a car.	c.xxxviii.
Comparatio Eumenis	a car.	c.xlii.
Sertorii uita	a car.	c.xlii.

TABVLA SECYNDI LIBRI.


Cymonis uita	a car.	i.
Lucii Luculli uita	a car.	iiii.
Niciæ uita	a car.	xiii.
Marci Crassi uita	a car.	xviii.
Cōparatio Niciæ & Crassi	a car.	xxv.
Agelilai uita	a car.	xxvi.
Pompei uita	a car.	xxx.
Alexandri Magni uita	a car.	xli.
C. Cæfaris uita	a car.	l.
Photionis uita	a car.	lviii.
Catonis Iunioris uita	a car.	lxxiii.
Dionis uita	a car.	lxxii.
Marci Bruti uita	a car.	lxxviii.
Comparatio Dionis ad		
Brutum	a car.	lxxxiii.
Demosthenis uita	a car.	lxxxv.
Marci Tullii uita	a car.	lxxxvii.
Demetrii uita.	a car.	lxxxviii.
Marcii Antonii uita	a car.	c.iii.
Artoxerxis uita	a car.	c.xii.
Arati uita	a car.	c.xvi.
Galbæ uita	a car.	c.xxiii.
Otonis uita	a car.	c.xxvi.
Euagoræ uita	a car.	c.xxviii.
Pomponii uita	a car.	c.xxx.
Ruffus de Regia uita	a car.	c.xxxii.
Platonis uita	a car.	c.xxxiii.
Aristonilis uita	a car.	c.xxxviii.
Homeri uita	a car.	c.xl.
Caroli Magni uita	a car.	c.xl.


LAVS DEO


FINIS.



Vid. Hahn, vol. 4.º, ff. 127.
n.º 13.130.










VITA
FLORENTI
EXPLVT.



Sala
Gab.
Est. R
Tab. 60
N.º 24

